

VRBANUS SEXTUS.

VRBANUS SEXTUS PONT. CCIV. ANNO DOMINI MCQQLXXVIII.



Urbanus VI. Neapolitanus, Bartholomaeus Brignapus antea dictus, ex Archiepiscopo Baronsi, creatus Romae die 6. April. 1378. Coronatus 14. Kal. Maii, eodem anno. Vixit annos undecim, menses 6. dies 7. Creavit Cardinales 58. Obiit Romae Idib. Octob. 1389. Sepultus in Vaticana Basilica. Vacavit sedes dies 17.

Clemens VIII. Gallus Antipapa, Robertus antea dictus, ex Gehennensibus Comitibus in Galliarum Provincia Relatenfi, Presbyter Cardinalis Sanctorum Duodecim Apostolorum. Creatus Avenione 12. Kalend. Octobris, anno 1378. Coronatus Kal. Novembris eodem anno. Sedit contra Urbanum, & Bonifacium annos 15. menses 11. dies 28. Creavit Pseudo-Cardinales 37. Obiit Avenione anno 1394. 16. Kal. Octobr. sepultus in Ecclesia Caestinatorum ad pontem Gorgiae, cui successit Petrus Luna, Benedictus XIII. dictus, de quo infra.

Jurisdicatio Camerarii Sanctae Romanae Ecclesiae summarie quascumque causas interesse Rever. Camerae Apostolicae quomodolibet concernentes cognoscendi.

Ad hanc jurisdictionem vide Bullas quas tibi indicavi supra in const. 1. Urb. V. Apostolatus, & plenè tibi dicam in const. 65. Clementis VII. In conferendis.

Eandem ferè jurisdictionem Camerario dedit postea Bonifac. IX. die 6. Junii, Pontificatus sui anno 2. & Greg. XII. die 24. Junii anno 1. ac Martinus Quintus die 21. Maii, anno 3. quas propterea praetermissi.

A. D. VRBANVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Marino Archiepiscopo Brundusino, Camerario nostro, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

POSTOLICAE Camerae per quam S. R. E. necessitatibus, & incumbentibus oneribus, multipliciter subvenitur, sic tenemur indemnitatibus subvenire, commo- disque intendere, & dispendiis obviare, quod ipsius jura debite possint repeti, ejusque officialibus suppetat opportunitas prosequendi.

§. 1. Sanè, quia saepe contingit, sicut accepimus, quod extra praefatam Cameraam super rebus, ac juribus Bullar. Magn. Tom. I.

ad eam pertinentibus, ac super aliis negotiis ipsam tangentibus litigatur, & saepe coram Iudicibus de juribus ipsius Camerae nullam, vel modicam habent jurisdictionem, quique per fiscalem advocatum, seu procuratorem, seu alios ex officialibus ejusdem Camerae, quae ipsa habent insistere, non possunt commode super his informari, propter quod causae nimium protelantur, & quodammodo pereunt jura sua.

Nos super iis providere volentes, & gerentes in te fiduciam specialem de tua circumspicientis in te, cui principaliter est ejusdem Camerae cura commissa, cognoscendi, auctoritate Apostolica, per te vel alium, seu alios, de omnibus, & singulis quaestionibus, controversiis, causis, & litibus praesentibus, & futuris, spiritualibus, Ecclesiasticis, & temporalibus, civilibus, & criminalibus, nedum ad ipsam Cameraam pertinentibus, sicut est haecenus consuetum, sed etiam de quibuscunque jura, & negotia ipsius Camerae directe, vel indirecte, quoquo modo tangentibus, seu etiam, quae secundum tuum liberum arbitrium viderentur ea posse tangere quomodolibet in futurum, ipsaque cum emergentibus, & ab eis dependentibus, ac connexis, ac eos quos tangere poterunt, tam personas Ecclesiasticas, quam saeculares, necnon Capitula, Collegia, & Conventus Ecclesiasticos, & Monasteriorum, ac Ordinum, exemptorum, & non exemptorum, Communitatesque, & Universitates locorum, prout, & quoties tibi videbitur, ad te, & ad eandem cameraam advocandi, & citandi per literas, vel puntium, intra, vel extra Curiam, & ad partes etiam, si causae ipsae de natura sui non sint apud Sedem Apostolicam per appellationem, aut alias legitime devolutae, necnon in ea tractandae, seu etiam finiendae, ac etiam si coram Iudicibus ordinariis, auditoribus, inquisitoribus, delegatis, subdelegatis, commissariis, executoribus, arbitratoribus, compromissariis, seu aliis quibuscunque, etiam per Sedem Apostolicam deputatis, vel deputandis, in praefata Romana Curia, vel extra ubilibet pendere nunc & in posterum dicerentur, etiam si in ipsis ad litem contestationem processum fuerit, vel ulterius quantumcunque, & etiam super literis ad nos, seu Sedem eandem per viam appellationis, seu simplicis querelae, vel alias habitus sit, vel in posterum haberetur recursus, dictas causas reassumendi, & reassumi faciendi.

§. 3. Easque per te, vel alium, seu alios audiendi, & examinandi summarie, simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura judicii, & sine debito terminandi, & alias iustitiam omnimodam exhibendi.

§. 4. Iudicibus quoque ordinariis, auditoribus, & aliis supradictis inhibendi, ne de causis ipsis post advocacione hujusmodi cognoscere, vel se intromittere quoquo modo praesumant, & quascumque alias inhibitiones in ipsis causis, ac etiam revocationes, & sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti per eos promulgatas, relaxationes, & absolutiones, necnon ordinationes, declarationes, mandata, decreta, monitiones, executiones, & processus quoscumque faciendi, & sententias proferendi, ac omnia alia, & singula faciendi, & exequendi, quae circa praemissa, vel ea tangencia juxta tuum liberum arbitrium videbuntur opportuna. Contradictores quoscumque, & rebelles, cujuscumque status, dignitatis, ordinis, vel conditionis existant, etiam si regali, pontificali, vel majori, aut aliis quavis praesulgeant dignitate, eadem auctoritate per censuram Ecclesiasticam compescendi.

§. 5. Non obstantibus generalis Concilii, & aliis constitutionibus à praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus in contrarium editis, necnon consuetudinibus, statutis, ordinibus, seu inhibitionibus quibuscumque, iuramentorum, aut excommunicationum, suspensionis, vel interdicti sententiarum per quoscumque promulgatarum, vel promulgandarum nunimine, aut quibusvis aliis firmitatibus roboratis, seu si aliquibus communiter, vel divisim à Sede Apostolica sit indultum, vel in posterum indulgeri contingerit, quod extra, vel ultra certa loca ad iudicium non trahantur, & quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verborum verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet

In iisdem Camerae S. R. E. cognoscendi quascumque causas interesse R. Camerae Apostolicae quoquo modo tangentibus, ubi r. i. ipsius Camerae. Tu scias hoc die hoc iudicium si dare ad ipsam Cameraam, si in es in materia, & in bullam 65. Clem. VII. in conf. r. n. a. i.

Faciliter summi r. e. & de i. r. r. c. a. u. n. t.

Indic bulque inhib. r. i. & r. i. r. u. i. o. r. e. s. c. o. e. r. c. u. n. d. i.

Quibuscon- que r. o. l. a. r. i. s. non obstantibus.

facta, rata habentes, vel in eis faciendis dantes auxilium, consilium, vel favorē, si singulares personæ fuerint, cuiuscumque præminentie, dignitatis, status, vel conditionis existant, earum videlicet singulas, si verò communitates vel universitates extiterint, omnes & singulas earum communitatum, & universitatum potestates, capitaneos, bajulivos, scabinos, advocatos, rectores, iudices, consules, & officiales, quocumque nomine censeantur, ac consiliarios, & privatas personas, quæ huiusmodi sacrilegii principales patratores existerent, excommunicationis sententias incurrere, necnon quamlibet earundem communitatum, seu universitatum, ac illa ipsorum Principum, Marchionum, Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium, & aliorum quorumcumque laicorum, & laicalium personarum, talia præsumendum, in quibus talia fierent, civitates, terras, oppida, castra, & alia loca, Ecclesiastico interdicto subiacere volumus ipso facto.

§. 2. Nullusque ab eisdem sententiis per alium quam per Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo, possit absolvi, nec interdictum huiusmodi per alium etiam relaxari. Non obstante si aliquibus communitatibus, vel divisiim à Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, & eorum propriis nominibus mentionem, & quibuslibet constitutionibus, privilegiis, & literis Apostolicis contrariis, de quibus etiam plenam, & expressam in nostris fieri oporteat mentionem.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum, quarto Idus Decembris, Anno sexto.

BONIFACIUS NONUS PONT. CCV.
ANNO DOMINI MCCCLXXXIX.



Bonifacius IX. Neapolitanus, Petrus, vel Petrinus Tomacellus antea dictus, Presbyter Cardinalis S. Anastasii. Creatus Romæ quarto Nonas Nouembris anno 1389. Coronatus 3. Idus Nouembris, eodem anno. Vixit annos quatuordecim, menses vndecim. Creavit Cardinales octo. Obiit Romæ kalendis Nouembris anno 1404. Corpus ejus in Basilica Vaticana sepultum est. Vacavit sedes dies novem.

Bullar. Mag. Tom. 1.

Institutio Festivitatibus Visitationis B. Mariæ Virginis pro die 1. Iulii, cum adhortatione ad jejunium suæ Vigiliæ. Indulgentiisque pro interessentibus officiis d. Festivitatibus, ex constitutione Urbani VI.

BONIFACIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.



SPERNI benignitas Conditoris, humanam creaturam ad similitudinem suam creatam misericordie pietate respiciens, eam collapsam fore primi parentis lapsu considerans, illam miro decrevit consilio releuandam, ut scilicet Verbum supernum, quod erat in principio, eam à mortis nexibus liberaret. Igitur pii Patris, qua nos dilexit charitas, temporis veniente plenitudine Verbum ipsum æternum sub forma serui, carnem nostræ mortalitatis assumere, ut eandem mortem nostram moriendo destrueret, ac damnationis sententiam simul & maculam, quam per reatum primi hominis generis humani posteritas incurrisse nocebatur, clemens Verbi æterni bonitas aboleret. Quapropter de clara stirpe regia Davidica prælegit Virginem, in cuius utero mystico spiramine Verbum ipsum carnè susceperet, ut egrederetur juxta verbum propheticum, Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascenderet, & requiesceret spiritus Domini super eum, perfectam Reginam inclytam matrem eligens, quæ tanto Regi digna fuit sui corporis thalamum præparare, de quo tanquam sponsus præ filiis hominum procederet speciosus, locum Nazareth, quæ flos siue sanctitas dicitur, ad suam conceptionem elegit, in quo per Angelicæ salutationis eloquia ipsius incarnati Verbi mysteria, mira que fuerunt solènia celebrata. Ibi enim sumpsumus nostræ redemptionis exordia, ibique primum dies sanctificationis illuxit, qui nobis de salute ipsam intulit, & de æternitate læticiam. In hoc etenim tantæ fecunditatis loco Virgo regia venustissima à Domino conservata, flos sanctitatis, vas cœlestis gratiæ mundissimum, omnium virtutum floribus redimita, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, Redemptorem gentium Virgo concepit, datura lucem gentibus sub mortis caligine constitutis.

§. 3. Sanè ipsa regina Cœlorum, in cuius se clausit viscera Dei Filius factus homo, ex tanti honoris fastigio sibi per Angelum nuntiato, nequaquam elationis assumpsit spiritum, sed tanquam Ancilla humilis, quamvis mater efficta Domini, humilitatis suæ, quam respexit Dominus, exequens officium, exurgens abiit in montana ad Elisabeth cognatam suam quæ vocabatur sterilis, jam semestri prægnantem, cum festinatione: & quemadmodum ab Angelo humillimè salutationis susceperat oraculum, sic etiam ipsam Elisabeth humiliter salutavit: Elisabeth verò ut salutationem audivit Virginis gloriosæ, repleta Spiritu sancto, & incarnati Verbi mysterium in utero sentiens virginali, voce magna exclamavit, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit præ gaudio infans in utero meo: & beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.

§. 2. Ad quam Virgo veneranda in humilitatis spiritu respondens, illud mirabile Canticum decantavit. Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. O magnum mysterium, & admirabile commercium, & ineffabile sacramentum, ut matres de pignoribus quæ gestabant in utero, in spiritu præsentirent, & etiam prophetarent, & ut sacri Evangelii prædicat historia, Cœli Regina gravida partu consecranda diuino, pro humilitatis amplioris signaculo præcursoris sui, quem gestabat Filii, Genitricis gravidæ, humanitatis impendat obsequium: quo impenso completoque huiusmodi

B b 3 Visitationis

B. Maria Virgine. Iudea

B. Virgo concepit Elisabeth

Et illa respicit illud admirabile canticum Magnificat, etc.